

DEI GRATIA,  
Inclutæ Facultatis Philosophicę indultu,  
DISPUTATIO

*Ex*  
Theologia Naturali  
*De*

UNIVERSALI  
DEI JUSTITIA,

PRÆSIDE  
V I R O

*Reverendo pl. Excellentissimo, Clarissimoq̃,*

DN. VALENTINO ALBERTI,

SS. Theol. L. Logicæ & Metaph. P. P.

Facult. Phil. Assess. ac Collegii B. M. Virg. Colle-  
giato Dignissimo, Meritissimo,

*Præceptore ac Patrono S. hono-  
ratissimo,*

P. P.

*à*

JOH. GEORGIO SCHUBERTO,

Zittav. Lufato, Phil. Bacc.

*d. XVII. Dec. Æ. CHR. M DC LXX.*

H. L. Q. C.

Coll. diss. A  
2, 6

L I P S I Æ,  
L I T E R I S C O L E R I A N I S,

*et. H. G.*

Sächs.  
Landes-  
Bibl.



I. N. 7.

Th. 1.

**E**T si sic comparata est Virtus, ut hominem ad amorem sui, & ad agendum gratias DEO, cujus beneficiò præ reliquis animantibus omnibus hoc DEO charissimum animal (Italo *Chrysofomi in serm. de Eleem.*) virtuti operam dare potest, excitare soleat; hos tamen stimulos homo negligere, & vel irritamenta vitiorum sequi, vel in virtutibus, contemplando potius, quàm agendo, occupari consuevit; quorum prius à vulgo, posterius ab eruditis non rarò committi videmus.

Th. 2. Inter contemplantes gravissimè excedunt illi, qui suas de virtutibus speculationes adversus Deum dirigunt, existentiam ejus in dubium vocantes, quòd in ipso existere non videant virtutes humanò modulò mensuratas. Ex horum numero *Cotta Philosophus Academicus*, apud *Cicer. de Natura Deorum*, III. 38. p. 337. *Qualem, inquit, Deum intelligere nos possumus nullà virtute præditum? Quid enim? prudentiamné Deo tribuemus? quæ constat ex scientia rerum bonarum & malarum, & nec bonarum, nec malarum. Cui mali nihil est, nec esse potest, quid huic opus est delectu bonorum & malorum? quid autem ratione? quid intelligentiâ? quibus utimur ad eam rem, ut apertis obscura assequamur. At obscurum Deo nihil potest esse. Nam Justitia, quæ suum cuiq; distribuit, quid pertinet ad Deum? Hominum enim societas & communitas, ut vos (Stoici) dicitis, justitiam procreavit. Temperantia autem constat ex prætermittendis voluptatibus corporis: cui si locus in cælo est, est etiam voluptatibus. Nam fortis Deus intelligi quò potest? in dolore, an in labore, an in periculo? quorum Deum nihil attingit.*

Th. 3. Philosophus ipse *Nicom. X. 8. Actiones, inquit, quas Diis attribuere nos oportet? justasne? An ridiculi videbuntur contrahentes inter se, & deposita reddentes, & cetera id genus? At fortes, ut res formidolosas subeant ac perferant, & periculum adeant, quia honestum sit? An liberales? Cui vero donabunt? Absurdum autem si apud eos etiam erit nummus, aut aliquid tale. Jam vero utrum erunt temperantes? An inepta & contumeliosa laus illa Deorum futura est, vitiosis cupiditatibus eos carere?*

Th. 4. Ex hoc loco Philosophi ea, quæ Cicero Cottam dicentem faciebat supra, deprompta esse putat *Muretus Variar. lection. VII. 22. p. 102. b.* Tantam inter utriusque verba harmoniam opinatur esse. Sed si hæc penitus inspiciamus, sensus, si non sonus, distinguet Academici & Peripatetici orationem. Cotta (1.) tam intellectualis, quam morales, Aristoteles solas morales virtutes negat DEO inesse: (2.) ille docet, quomodo dubitare quis possit, an DEUS existat, quia virtutes nullæ inexistant ipsi; hic, de DEI existentia certus ac securus, virtutibus intellectualibus illum, non moralibus exercendis deditum esse ostendit, illarumque inde præstantiam probat. Hinc *Giphanius Commentar. in h. l. Aristot. p. 822.* Cottam Ciceronianum non ad Aristotelem, sed ad Stoicorum aliorumque sui temporis Philosophorum disputationes (quas penè ad verbum exponit *Sextus Empiricus lib. adversus doctrinas, cap. an sint Dii, &c. in eadem re quæ Cicero*) reflexisse conicit.

Th. 5. Ex his patet, liberalius esse dictum, quod ex *August. allegat Rayn. Theol. natural. distinct. 8. q. 2 art. 5. p. 875. de Justitia in Deo Juliani Pelagiani: Nemo gentiliū, inquit, de ea dubitavit, quia in omnibus generaliter & docente natura inculcatum est, Deum justum esse, ut manifestum sit, Deum non esse, quem constiterit justum non esse.* Intelligit enim hæc apertè de justitia illa, quæ quadræ ingalitati pars est, uti loquitur ipse, s. quæ inter quatuor cardinales virtutes locū invenit, & universalis est. Aliàs justitiā Dei speciale (ὁ δὲ δικαιοσύνη τῶν θεῶν) nēpe quod ii, qui mala faciūt, divi sint morte, gentilib; cognitā & à plerisque affirmatā fuisse, cū Theologis ex *Paulo Rom. I. 32.* fatemur, imò hinc adversus Socinianos justitiam DEO naturalem esse, defendimus. Vide  
*Max.*

Max. Reverend. Dn. D. Scherzerum, Rectorem hodiè Magnif.  
Colleg. Anti-Soc. Disp. 6. p. 60.

Th. 6. Præclare autem Platonici virtutes omninò omnes in DEO inesse dicebant, sed longè aliò modò, quàm in hominibus nempè *ἡ ἀδελφικὰς καὶ ἀνιδέας*; uti sententiam ipsorum nervosè exprimit Muretus d. 1. Etsi etiam Aristoteles non definit, *utrum virtutes morales altiori quòdam modò atque humane virtutis imperfectionem transcendente, non sint in DEO?* quod observat Smising, Scotista, *disp. Theol. Tom. I. p. 448.*

Th. 7. Christiani cùm nefas esse putent, denegare DEO ullam earum perfectionum, quæ in Creaturis inveniuntur, affirmant etiam de illo virtutes tam morales, quàm intellectuales, quibus in se nihil agnoscunt perfectius. Sed de modo similiter lis est inter eos non una. Cùm enim variæ sint virtutes ipsæ, nec eadem in omnibus detur perfectio, in Deum haud omnes eòdem modò, imò perfectissimæ peculiari quâdam ratione ob summam ejus perfectionem cadere videntur.

Th. 8. Nos quomodo hâc in re tutò procedere possimus, exemplo Justitiæ Universalis nunc breviter ostendemus.

Th. 9. Nitimur autem hîc duabus regulis. *Prima* concernit formam, sive modum, quo agendum est; *Altera* materiam, de quâ agitur.

Th. 10. *Prima* hæc est: Quando de virtute aliquâ quæritur, an & quomodo illa in DEO fit, convenire oportet disputantes in significatione propriâ illius virtutis, quam in Philosophia obtinet. Hôc factò, videndum est, hòc an aliò modò in Deum cadat. Nisi hi limites ponantur, liberum erit disputantibus vagari, alterq; de DEO negabit in hâc significatione id, quod alter in illâ eidem attribuit. Oppositio enim non fiet *ἰσότητος* aut eodem modo.

*Regula prima.*

Th. 11. Quod de virtutibus diximus, exemplo iræ ex doctrinâ de affectibus illustrare possumus. Magna enim & intricata omnivò quæstio fuit, utrum ira in scripturis DEO proprie

priè tribuatur an impropriè ? Hic si accipiatur ira, sicut oportet nos juxta monitum regulæ accipere, cum Philosophis, *Aristotele*, pro appetitione doloris rependendi; cum *Senecâ*, pro concitatione animi ad ultionem voluntate & judicio pergentis; cum *Possidonio*, pro cupiditate puniendi eum, à quo t. iniquè putes læsum; cum *aliis*, pro incitatione animi, ad nocendum ei, qui aut nocuit, aut nocere voluit: quas omnes maximam partem quoad rem, si non verba, similes descriptiones post *Senecam in lib. de ira*, collegit *Lactantius Libro de ira Dei c. 17. p. 809. edit. Gallæi*, facile à DEO removebitur illa in proprio significato. *Lactantius* autem cum rejectis Philosophorum definitionibus d. l. ipse sibi pro lubitu definitionem iræ formet, dicatqve illam esse *voluntatem puniendi delicta aut motum animi ad coercendum peccata insurgentis*, non potuit non in omnia alia abire, Deoqve iram in propriâ significatione vindicare. Eandem sententiam, ex Patribus *Tertulliano*, & *Cypriano*, ex junioribus, *Melanchthoni* & *Musculo* attribuit *Conradus Vorstius in not. ad disp. 10. de DEO & attrib. div. p. 462.* Hæc licentiâ si utantur alii, alio iterumqve aliò modò ad quæstionem respondere poterunt.

Th. 12. Ob has igitur rationes cum nobis ante omnia videndum sit, quid *Justitia universalis* propriè significet, præsupponimus, illam nihil aliud esse, quam virtutes morales, non prout in possessoribus suis (ad intra) affectus ad mediocritatem redigunt, sed (ad extra) ad cæteros cives, aut civitatem ipsam referuntur, quatenus secundum ejus leges honestè vivitur, & beatitudo toti societati civili communis promovetur. Hæc ratione, fortitudo v. g. pars justitiæ universalis est, non prout in *Alexandro* affectum metûs ac fiducia temperat, sed per *Alexandrum* ipsam Rempublicam juvat. Idem judicium de reliquis virtutibus ferendum est: Sic enim ab *Aristotele*, & secundum eum communiter accipitur *Justitia universalis*; etiam *Plato* ad ipsum interiorem hominem referat hujus *Justitiæ* vim, confundens *Justitiam generalem cum virtute perfectâ*, dum *Pythagoricos imitatus* (qui multa de numeris & Musicis ad Philosophicas disputationes transferre sunt soliti) ait esse nihil aliud, quam animi par-

par-

partium, rationis, iræ & libidinis harmoniam & concertum. Giphani Commentar. in Nicom. V. 2. p. 347. Confer Excell. Dn. Thomas. Tab. Eth. 13. & 24.

Th. 13. Justitia hæc universalis, quatenus à legibus præcipitur, iisque per ejus exercitium satisfit, legalis etiam dici solet. Ratio desumi potest ex elegantibus verbis Giphanii d. l. p. 340. dignis, quæ hic legantur integra: *Perspicuum est, inquit, Justitiam (universalem) esse quandam legum observantiam: injustitiam, legum violationem, & ἀνομίαν ἢ ἀνομίαν.* Quare & B. Johann. Ep. 1. c. 3. Peccatum, inquit, est ἀνομία, nempe peccati nomine intelligens hanc injustitiam communem. Et quidem passim in libris sacris justitia lege definitur, nihil aliud justitiam esse, quàm legis à Mose præscriptæ observantiam, ut initio Epist. ad Rom. Atque hunc in modum justitiae & justitiae vocabulum pro bono & universâ virtute, omnibus ferè in locis S. Scriptura accipi debet. Nam & vulgus ita ferè loqui solet. Quare & Aristides olim ab hac communi justitia justitiae cognomen accepit, de quo Plutarchus in ejus vitâ. Quod autem justitia hæc sit legum observantia, præclare explicat Plato in Critone & Xenophon l. 4. Aristoteles quoque lib. 1. Rhetor. virtutum genera describit hunc ferè in modum: *Fortitudo est periculorum susceptio ex legum præscripto.* Ad leges igitur cum habeatur respectus clarissime, legalis hinc non invita dicitur.

Th. 14. Altera regula talis est: Virtutes morales (juxta definitiones Philosophorum acceptæ) non sunt in DEO univocè, sed vel æquivocè, vel analogicè. Alterâ regula.

Th. 15. Virtutes morales in Deo esse, confusè cognoscit intellectus viâ eminentiæ, quâ perfectiones creaturarum in eminentiori gradu ad Deum refert. Perfectiones autem vel simpliciter, vel secundum quid tales sunt. Illæ nullam, hæc aliquam connotant imperfectionem. Hinc diversus inessendi modus respectu Dei illis assignandus est, ad quorum unum alterumve fas est etiam referre virtutes morales. Vide hoc latè pertendentem Jesuit. Raynaud. Theolog. natural. distinct. 8. q. 2. articulo 5. p. 869. seqq.

Th. 16.

Th. 16. Univocè DEO & creaturis dicuntur inesse illa, quæ eandem retinent definitionem, cum utrisque attribuuntur. Contingit hoc in prædicatis quibusdam Metaphysicis communibus, v. g. essentiæ, subsistentiæ, substantiæ &c. quæ eodem modo de Deo & creaturis prædicantur.

Th. 17. Analogicè Deo insunt, quæ non totam definitionem, partem tamen ejus in propriâ significatione retinent, quando de eo efferuntur. Accidit id in quibusdam virtutibus, v. g. ex intellectualibus in sapientia, quæ in homine accidens, in Deo essentia ipsius est, exactissimâ rerum divinarum notitiâ illustris. Idem de moralibus quibusdam, v. g. liberalitate, magnificentiâ &c. vulgò dicitur. Vide *Raynaud. pag. 874.*

Th. 18. Ubi obiter notamus, nos per ea, quæ analogicè insunt, hîc non intelligere τὰ ἀφ' ἐνὸς πρὸς ἓν s. quæ ad unum sunt communia, sicut Philosophus loquitur; de quibus prolixè *B. Höpfnerus Commentar. in L. Categ. p. 117. seqq.* Etsi enim hæc à Scholasticis analogæ vocantur, aliter tamen Aristoteles de iis, quæ ad unum sunt communia; aliter de analogis suis Scholastici agunt. Et cum in nostro argumento stilus Scholasticorum regnet, adeò ut à Nostris etiam passim recipiatur, cum illis nunc loqui, idque pro analogo habere volumus, quod pluribus inest propriè, etsi non eodem modo.

Th. 19. Æquivocè idem est ac impropriè inesse, aut ad similitudinem dici h. l. de Deo. Huc refertur castitas ac obedientia, si Deo attribuantur: rectiùs quàm si per multas ambages nitamur probare, humanas has virtutes DEO formaliter inesse. Ad hoc demonstrandum utitur *Jesuita Bernaldus de Quirós dissp. selectar. Theolog. p. 656.* distinctione inter has virtutes absolutè & conditionatè consideratas. Absolutè (prout reverà existunt in homine) imperfectionem dicuntur ipsi connotare, non autem conditionatè, ut, si Deus vellet sub conditione, quod haberet superiorem, illi obedire. Atque hanc ob causam putat ille, Deo formaliter inesse obedientiam. Auderem dicere, hæc ratione Monachos formaliter esse maritos, non absolutè ac si  
reve-



reverà sint, sed conditionatè, ut si vellent sub conditione, quod haberent uxores, illis cohabitare. Imò id eò magis valet, quò facilius hanc conditionem implere potest Monachus, cum altera conditio ( si Deus haberet superiorem ) absolutè impossibilis sit ac proinde nulla. Summus enim quí habeat superiorem, cui velit obedire?

Th. 20. Horum omnium applicatio nunc facienda est ad justitiam universalem, respectu Dei.

Th. 21. Rejicimus autem híc, juxta Regulam primam, eos omnes, qui Justitiam universalem aliter ac ex doctrinâ Aristotelicâ à nobis Th. 12. exposita est, accipiunt. Nominari hoc loco merentur illi, qui justitiam universalem habent pro *fidelitate sociali, quam dicunt esse unitivam plurium in unam societatem, ad distingvendum illam à fidelitate ut sic, & à fidelitate, quæ etiam inimicis & extraneis est servanda; sicut illam accipit Thomas 2. 2. q. 26. a. 3. c. & ad 2. item a. 4. ad 3.* Præter necessitatem igitur prolixè disputat *Smising loc. alleg. f. 462. seqq.* an in hac significatione justitia universalis competat Deo?

Th. 22. Univocè verò in Deum non potest convenire, tum ob generalem, tum ob specialem rationem. Illa à naturâ virtutum omnium, hæc à specifica ratione justitiæ universalis pendet.

Th. 23. Idem virtutum moralium omnium genus est, una differentia generica. Illud, si de proximo sit quæstio, est ipsa virtus moralis, quæ est habitus, & consequenter qualitas ac accidens. Hæc, est mediocritas affectuum propriè dictorum, metus & fiducia v. g. in fortitudine, iræ in mansuetudine &c.

Th. 24. Neutrum horum propriè aptari potest DEO. *Non genus*: quia accidens propriè acceptum non cadit in ens absolutè simplex, quale est DEUS, & quidem solus. Esset enim aliàs realiter compositus, ex subjecto & accidente, quod illi repugnat. Vide hoc passim adversus *Conrad. Vorstium* à nostris probatum. *Non differentia generica*: affectûs enim tam subtiles in voluntate, quàm crassi in appetitu sensitivo propriè de DEO affirmari nequeunt. Sunt enim motûs ac pro-

B

inde

inde accidentia', quæ à DEO jam removimus. In quo verò non sunt affectus, quomodo in eo mediocritas affectuum esse potest?

Th. 25. *Theodorus Smising. Tom. 1. disp. Theol. p. 454.* nul- lam putat in DEO virtutem moralem formaliter aut univo- cè esse ideò, quia DEUS non possit velle honestum sive bonum mo- rale propter ipsum; quod ad virtutem moralem requiri probat ex *Nicom. II. 3.* ubi Philosophus ad ea, quæ virtuosè (v. g. justè aut temperatè aguntur) expressè requirit, ut agens, talia eligat propter ipsa. DEUS verò non movetur nisi à bono infinito, aut si à bono finito, quale est virtus moralis & actio honesta, non nisi sub expressâ relatione ad ultimum finem, seu expressâ represen- tando illud ut conveniens sibi tanquam primæ regulæ honestatis. *Ber- naldus de Quiribus l. c. p. 472.* Nos negamus consequentiam. Debet etiam homo ordinatò appetitu, sic ferri in bo- na honesta propter ipsa, ut simul respiciat ad DEUM ac gloriam DEI, tanquam finem absolutè ultimum, cui summum bonum practicum jure meritoqve subordinatur. Jam verò concessum est ab omnibus, hominem esse proprièssimè capa- cem virtutum moralium omnium. Ergò multò minus DEO hæc ratio obstare poterit. Accedit, quod *Smising. l. c.* solam hæc rationem habet pro sufficienti ad denegandum DEO virtutes morales. *Virtutes enim morales, inquit p. 159. n. 30. solum ex- cluduntur à DEO, eo quod non possit velle bonum honestum, seu bo- num morale, propter ipsum, & non, quia careat appetitu sensitivo, aut rebellionem, & inordinatâ passione talis appetitus, vel non, quia in ipso non sit materia talium virtutum.* Contra, si appetere quis possit honestum propter ipsum, ille jam capax est virtutum moralium omnium, reliqua sive adsint, sive absint requisita. At, quæ absurda hinc non sequuntur? Nec hoc latuit *Smisingium.* Apertè enim fatetur, in Christum & angelos bonos ex hæc hypothese cadere pœnitentiam, quam virtutibus mora- libus annumerat ille cum suis communiter; etsi nec agant, nec agere possint, cujus eos pœniteat. Sufficit ipsi, capaces esse angelos & CHRISTUM, actus, ut loquitur, ad quem per se in-

*inclinat ista virtus, nempe qua quis vult medium ejus propter ipsum, in quocunq; subjecto illud medium reperiatur.*

Th. 26. Hæc de generali ratione, ob quam justitia universalis non potest univocè esse in DEO; nunc de specificâ.

Th. 27. Desumitur hæc ab eo, per quod virtutes morales fiunt justitia universalis. Id verò nihil est aliud, quam relatio virtutum moralium ad civitatem, quatenus per illas legibus hujus satisfit. Unde sequitur hanc relationem involvere debitum (1.) partis ad totum, & (2.) dependentiam ab alio. Civis enim debet civitatem, tanquam pars ejus, exercitio virtutum juvare, secundum leges civitatis suæ, à quibus dependet. Neutrum verò quadrat ad DEUM; quia utrumque involvit respectum inferioris ad superiorem, qui in Ente summo non potest dari.

Th. 28. Dicis: In quemcunq; cadit debitum superioris, regendi ac conservandi hoc universum, in illum cadit debitum quoddam justitiæ Universalis. Atqui in DEUM cadit debitum superioris &c. *E. Major* probatur: Justitia enim universalis non tantum respicit debitum inferioris, sed etiam superioris seu Principis respectu boni communis & totius civitatis, cui præest. Ob quam causam *Thomas 2. 2. q. 58. art. 6.* justitiam universalem in Principe constituit principaliter & architectonicè, tanquam in artifice bonarum legum ferendarum, earumque, quæ latæ sunt, conservatore, in subditis verò minus principaliter, tanquam Principi ministrantibus ad conservationem boni communis. *Minor* constat. DEUS est Princeps hujus universi. Paria igitur oportet ipsum facere in regendo ac conservando mundo cum magistratibus bonis, publicæ salutis studentibus: & eò quidem magis, quò potentior est ad id faciendum. *Providentia DEI*, inquit *B. Hulsemannus Breviar. c. IV. supplem. Th. 4. circa res creatas necessaria erat non solum ob creaturarum indigentiam Psal. CIV. 29. 30. sed suppositâ voluntate creandi aliquid, necessarium erat etiam ratione sapientiæ & potentiæ DEI, ne desererentur res conditæ, sed glo-*

via creatoris etiam in conservatione earum, & directione apparet.  
Confer cap. IV. Th. 2.

Th. 29. Plausibile argumentum! Excipis: Quicumque est ens liberrimum, in eum non potest necessitas inferri. Atqui DEUS est ens liberrimum. E. Respondeo (1.) ad *Majorem*, distinguendo inter necessitatem absolutam & hypotheticam. Illa, non hæc à DEO excluditur. Patet id ex aliis casibus. Posito enim v. g. quod velit loqui, aut promittere aliquid, jus fasque est, imò oppidò necessarium, ut loquatur vera, & satisfaciat promissis, absque detrimento divinæ libertatis. (2.) Concedendo totum. Hæc enim necessitas non inferitur in DEUM, sed fundatur in ipsa liberrimâ electione, DEI, quâ decrevit creationem, & hinc conservationem mundi. Vide *Th. antecedentem*.

Th. 30. Verum enimverò, his non obstantibus, nullum justitiæ universalis debitum admitti potest in DEO. Probatio enim *Minoris* in argumento *Th. 28.* allato claudicat ob manifestam disparitatem Magistratûs humani, respectu Republicæ, & DEI respectu hujus universi. Jus enim, propriè sic dictum, est in subditis, natum ex obligatione mutua inter parentes & imperantes, in eâdem Republicâ, cujus vi magistratus obligatur ad promovendum commune bonum. Sed in creaturis propriè loquendo nullum est jus respectu Creatoris, quò teneatur ad conservandum illas. Si in his dicatur jus quoddam in respectu ad DEUM esse, id non est aliud quàm capacitas creature ad aliquid recipiendum, sine quò non est perfecta in suo ordine; ideoque dicitur illud exigere, id est, ad illud innato appetitu inclinari, qui appetitus non est aliud, quàm illa capacitas quam dixi: At explere istam capacitatem, seclusò aliò jure, est opus vere liberalitatis. Nam liberalitas respicit subjectum capax beneficii, adeoque innato quodam appetitu quasi exigens beneficium. *Smising, d. l. p. 461.*

Th. 31. Sunt, qui à legibus injusta etiam præcipi posse putant; Etsi id ex Gentilibus *Plato & Cicero* negent. *Aristotelis* sententiam vide *Nicom. K. 9.* & *Giphian. Commentar. p. 340.* Quod si igitur ex hæc hypothese justitia universalis dicatur legum obser-

ser-

servantia omnium, injustarum pariter ac justarum, facile apparet, à DEO procul hanc justitiam, quæ gloriam parendi etiam in injustis actionibus ponit, abesse debere.

Th. 32. Hactenus igitur demonstratum est, ob quam causam justitia universalis, propriè juxta Philosophum accepta, univocè in DEO non sit. Restat ut videamus, æquivocè an analogicè de eo prædicetur.

Th. 33. Juvat hîc distingvere inter justitiæ universalis materiale & formale. Illud consistit in virtutibus moralibus, ex quibus non aliter ac sertum ex flosculis hæc virtutum corona textitur. Hoc, nihil est aliud quàm specifica ejus ratio, per quam ex virtutibus moralibus fit justitia universalis. Diximus, hanc esse relationem virtutum moralium ad civitatem, quatenus per illas legibus hujus satisfit Th. 27. quam vide.

Th. 34. Quoad materiale inductio virtutum moralium faciendâ est, cùm non unô in DEUM convenient modo. Nobis autem nunc sufficiet undenarius Aristotelis, ex quo judicium facile ferri poterit de reliquis virtutibus, quas partim Theologi, partim Philosophi recentiores adjece-  
runt.

Th. 35. Respiciemus autem hîc ad solum objectum, quo virtutes singulæ morales à se invicem tanquàm per differentiam specificam distinguuntur. De genere enim & differentiâ genericâ jam constat ex Th. 24. quod propriè Deo attribui nequeant.

Th. 36. Fortitudinis est occupari circa mala, & temperantiæ, circa bona, quæ homini, in quantum animal est, contingunt. Vulnera enim ipsamque mortem violentam Vir fortis robore hujus virtutis sustinet. Hæc autem mala unumquodque animal potest experiri; sicut voluptates oris & Venæris, quarum temperies est à temperantiâ, communes sunt homini & bruto. De DEO igitur hæc duæ Virtutes, sic acceptæ, non nisi æquivocè dici possunt. Mala enim ac bona, quibus animalia afficiuntur, quæ ad DEUM pertineant, ut mediocritatem in iis, vel ferendo vel fruendo, adhibeat? Consentientem

habemus *Thomam* 1. q. 21. art. 1. ad 1. qv. 59. art. 4. ad 3. & 1. 2. q. 61. a. 5. Idem statuit, præter alios plures, ex recentioribus *Sua- rex. disp. 30. Metaph. sect. 16. n. 67. p. 133.* Angelis ob eandem rationem has virtutes denegant *Conimbricens. Ethic. Disp. 7. q. 5. art. 3. p. 77.* Etsi has sententias in dubium vocat *Scotus*, de quo in præsentia materia prolixè *Smising. d. l. p. 456.*

Th. 37. Idem judica de mansuetudine. Ira enim propriè non cadit in Deum, juxta *Th. 11.*

Th. 38. Modestia ac magnanimitas pro objecto habent honores, illa parvos, hæc magnos. Hi verò cum respectum involvant ad civitatem, ut pro parvis aut magnis habeantur ipsi, prout vel parum, vel multum valent in Republica; quem in modum magistratus inter maximos, titulus scholasticus inter parvos honores numeratur; facile constat, hanc virtutum bigam non nisi æquivocè ad DEUM quadrare. Parvi enim honores quid ad DEUM Opt. Maximum? Magistratus autem in societatibus humanis, hominibus competit, quia est *κτίσις ἀνθρώπων* 1. *Pet. II. 13.* de nominatione petitâ ab hominibus, tanquam subjectis, aut filiis hominum, uti Syriaca paraphrasis habet, è quibus fiunt magistratus. Nisi excipere velis *Ἰερογλυφικόν* olim in populo Israëlitico à *Josepho l. 2. contra Apion. p. 611.* observatam. Sed hoc exemplum fuit extraordinarium, & jam defuit, nunquam habiturum simile, postquam species & spes Republicæ Judaicæ, uti loquitur *Grot. L. 1. de jure B. & P. 6. 2. n. 7.* cōcidit.

Th. 39. Idem dicendum est de virtutibus homileticis, quæ in communi conversatione exercentur. Hæc enim exemptum esse DEUM, nemo nescit. Veracitatem tamen homileticam, quâ quis verum de seipso loquitur, olim exercuit erga Patriarchas, aliosque, à quibus certò modò visus atque auditus fuit. Nunc, postquam ultimò locutus est nobiscum per Filium suum, oculis & auribus nostris, Numen aliàs præsentissimum se subduxit. Finxit quidem Numa cum Dea Ægeria colloquium, *Liv. Decad. 1. L. 1. p. 14.* Idem fecerunt alii. Sed tale fuit colloquium, quale Numen, h. e. nullum. De talium fraudum, etiam piarum ab Hispanis Christianis in America commissarum eventu, rectè *Grotius in Campanellæ Politic. p. 131.* D E I  
jus-

jussus simulare successum fortè aliquem daret homini perito apud  
rudes, ut Sertorio apud Hispanos: Hispanis jam eruditis apud A-  
mericanos, Physicæ artis, Medicæ & Astronomiæ auxilio. Ceterum  
seculo & loco literato frigebit hoc artificium.

Th. 40. Liberalitas autem & Magnificentia, ultimaque  
virtutum moralium ordine, dignitate prima, justitia particula-  
ris, analogicè DEO conveniunt. De hac propediem plura  
speciatim. De illis constat. Ea enim, quæ pecuniis æstimari  
possunt, multum ac modicum, ad mensuram benignitatis ac sa-  
pientiæ suæ confert in nos, Rempublicam & Ecclesiam, DEUS  
munificentissimus; adeò ut hæc de redubitare, nihil sit ali-  
ud quàm ingratum esse in tam liberalem ac Magnificum da-  
torem.

Th. 41. Hæc de materiali justitiæ universalis, sive de  
virtutibus singulis moralibus distinctè. Formale quatenus in  
relatione ad leges civitatis, quibus sic satisfit, consistit, participat  
DEUS analogicè. Etsi enim nullius Reipublicæ legibus sub-  
est is, qui Rex Regum & Dominus Dominantium est: Ille ta-  
men sibi ipsi lex est, ac legi æternæ conformem se gerit in vir-  
tutibus suis, v.g. liberaliter dando huic parum, illi multum. Vide  
de hac lege æterna prolixè ac orthodoxè agentem *B. Meisnerum*  
*totò lib. 2. de legib. p. 85. seqq.* Imò & DEUM juxta jus naturæ  
passum esse se judicari, observat in aliquot locis Biblicis *Grotius*  
*Lib. 1. de J. B. & P. c. 1. n. 10.*

Th. 42. Dubio procul huc respiciunt quidam ex recentio-  
ribus, ponentes in Deo specialem quanda virtutè Universi gu-  
bernatricem à misericordia & liberalitate aliisque virtutibus ra-  
tione distinctam: quam licet dicant, non esse propriè justitiam  
legalem, ajunt habere cum illa affinitatem ac similitudinem, &  
posse *justitiam providentialem* nominari; uti ex *Svarex. Relect.*  
*de Just. DEI sect. 4. num. 8. & 9. narrat Smising. cit. l. p. 461.*

Th. 43. Patet hinc, si ex dictis ferendum nunc est ju-  
diciam de Justitiâ Universalis in DEO, eam, ratione materialis  
partim æquivocè, partim analogicè, ratione autem formalis a-  
nalogicè DEO convenire. Nec monstrum exinde aut inso-  
lens quid sequitur, sicut fortè alicui videri posset. Contingit e-  
nim

nim idem etiam alibi respectu DEI. Egimus haecenus de justitia universali ex Ethica. Demus exemplum de Majestate ex Politica. Nihil hinc dicam, quod partes ejus, vulgò regalia, in magistratu humano differant realiter, in DEO formaliter tantum. Sufficit, quædam de DEO analogicè ac propriè, quædam non nisi æquivocè prædicari posse. Leges, propriissimè loquendo, fert: quis autem veltigalia illum propriè imponere dicat? Idem contingit in nostro argumento.

Th. 44. Invenias quidem inter Nostros, qui Justitiam universalem DEO simpliciter attribuere videntur. Sed si ultra sonum penetremus in sensum verborum, haut diversum nendum adversum nobis sentiunt. Aut enim hanc analogicè & secundum aliquam tantum partem propriè DEO tribuunt, aut de aliâ significatione justitiæ universalis loquuntur. Sic *B. Gerhardus Loc. II. sect. 12. n. 229. p. 310. Universalis, inquit, justitia DEI est rectitudo voluntatis, quâ immutabiliter vult & approbat omnia, quæ in lege suâ præcepit; speculum enim illius universalis justitiæ proponitur in lege omnis justitiæ normâ. Quibus verbis non tam formaliter, quàm normaliter justitia universalis in DEO ponitur. Rectitudo enim voluntatis divinæ in lege nobis manifestata est norma nostræ justitiæ universalis sive actionum nostrarum bonarum, quæ illi conformes esse debent. B. Höpferus disp. 2. de justificat. L. K. 3. DEUM vitam aeternam credentibus largientem propter CHRISTUM, dicit justum esse judicem justitiâ universali; quia facit, quod congruum est suæ bonitati, utpote qui ipsa est justitia, & in nullo potest peccare. Et disp. 10. L. P. justitiam DEI universalem dicit esse rectitudinem, quâ decenter & prout sapientiæ illius convenit, omnia peragit. Quid magis ad sententiam nostram de formali justitiæ universalis convenire posset, quâ id supra Th. 41. propriè DEO sed analogicè competere diximus, ratione legis æternæ, cui se in actionibus suis conformem gerit, omniaque optimè sapientissimeque facit.*

Th. 45. Finio cum Davide Psal. XL. 11. 13. *Annunciavi justitiam tuam, Domine. Tu autem Domine, ne longè facias miserationes tuas à me: misericordia tua & veritas tua semper tueatur me!*



*Ad Dn. Respond. Magisterii Cand. Digniss.  
Amicum & Auditor. M. Chariss.*

**E**st aliquid, juvenem cursum Virtutis inire:  
Mulum est, hunc juveni posse præire  
Virum.

Sed si Virtutes reliquæ cogantur in unam,  
Grandius hoc illis est brevitatis opus.

Quantum ergò est, Te Virtutes, Schuberte,  
sub unâ

Justitiâ innumeras sistere posse DEI?

**PRÆSES.**

---

**S**iccine fas Numen constringere legibus ipsum,  
Poscere & obsequium Cunctipotentis Heri?

Siccine Virtutem fas illi adscribere, pannis

Quam similem spurcis enthea scripta docent?

Grande nefas! Justum tamen afferuisse Jehovam

Fas jubet, & *latam* pandere ubiqve *Dicen.*

Nempe Deus nullâ nescit qui lege ligari,

Ipsè sibi Lex est, Lex vetus ipse Deus

Lex Deus æterna est, fons Legum atqve omnis

Honesti,

Quam violare neqvit, nec violare cupit;

Et contrâ se Numen agat? Justissima Mens est,

Justitia quâvis justior una, Deus.

Quæ dum doctiloqvo defensas gutture, quânam

Te laude ornandum, *Cære Schuberte*, canam?

Attribuis tribuenda DEO. Deus ipse vicissim

Attribuet studiis præmia pulcra tuis

C

Jus

**I**us tamen inde cave poscendi præmia fumas,  
*Injustos Justi Gratia summa beat.*

De summo argumento cum lau-  
de disputanti

*Per - Eximio Dn. Schuberto*  
Pulcherrimam præmiorum messem in  
ipsâ hyeme obventuram  
auguratur

*M. Joachimus Fellerus,*  
Poes. Prof. Publ.

---

**G**naviter Aoniis quàm sis luctatus in arvis  
Sat præsens Specimen, docte SCHUBERTE, probat.  
*Crede mihi, egregius labor hic Tibi proderit olim*  
*In laudem cedet nominis atque Tui.*

In honorem Honoratissimi Domini  
sui Conterranei scribe-  
bat Lips.

**Gottfried Vopelius,**  
Zittâ Lusat.

---

**D**um de Justitiâ disqviris, frater amande,  
Gratulor atq; precor: cresce DEO, patriæ!  
**CHRISTIANUS SCHUBERTUS,**  
J. U. Cult.

---

**E**sse Deum **IUSTUM**, Natura Lumine censes;  
*Infixum captis ornent Te Munera IUSTI.*

Hæc paucula Dn. Contubernali  
gratulabundus adjecit

**Henricus Hillebrandus,**  
Rydzynensis Pol.

**F I N I S.**

*Coll. diss. A. 2, misc. 6*